

# **Landesbibliothek Oldenburg**

**Digitalisierung von Drucken**

## **Martini Chemnitii, Doctoris Theologi celeberrimi, Harmonia Quatuor Evangelistarum**

Quam ab Eodem feliciter inchoatam ... D. Polycarpus Lyserus, et D.  
Johannes Gerhardus, ... Is quidem continuavit, Hic perfecit ; Opus  
Eruditionis Stupendæ, Orthodoxorum consensu approbatum, idemque tot  
Eruditorum desideriis adhuc expetitur

**Chemnitz, Martin  
Leyser, Polycarp  
Gerhard, Johann**

**Hamburgi, MDCCIII**

**VD18 90617681**

Caput XCVII. Continens Emissionem Septuaginta Discipulorum. Luc. 10. v.  
1.

**urn:nbn:de:gbv:45:1-18203**

sed omnium auditorum gratiam habere queant. Nihil meliores, si modo non peiores, sunt illi, qui Christum ita sequuntur, ut tamen liceat simul Baccho & Veneri etiam servire, hoc est, commensationibus, libidini & aliis vitiis indulgere. Alii etiam eatenus saltem Christum ipsiusque Evangelium profiteri volunt, quatenus id fiat sine iactura rerum suarum, aut ut ita sibi prospicere liceat, ne olim egere cogantur. Talis erat Judas fur, surripens ex oculis elemosynas: Joh. 12. v. 6. Et Ananias atque Saphira, Act. 5. v. 2. qui Ecclesiam fraudarunt pecunia, ut si forte tempora periculosa incidere, suis commodis jam ante prospexissent.

Quid vero Christus de hujusmodi ambidextris? Nemo inquit, qui manu sua admodum aratro, respexerit à tergo, aptus est regno Dei. Innuit tales non esse idoneos regni sui consortes vel suos discipulos, qui simul animum suum rebus secularibus implicare velint. Christianismus talis status est, qui totum requirit hominem: ut quis in eo statu versans non possit duobus Dominis, Christo & huic seculo, servire. Matth. 6. v. 24. Non quidem vult Christus penitus prohibere rei domesticæ curam, cum Paulus tales Ethnicis deteriores esse testetur: 1. Timoth. 5. v. 8. sed talem curam, quæ cum diffidentia est conjuncta, & facit, ut fidei oculos avertamus à Deo, & convertamus ad temporalia, Christus reprehendit. Utque intelligamus ipsum non absque causa de eo monere, adducit simile à re rustica. Omnis arans, qui manu quidem strivam tenet, sed oculos convertit ad ea quæ à tergo sunt, aut tortuosos ducit sulcos, aut boum arantium vestigia vulnerat. Ita qui apprehenso spiritali vomere vitia mundana persulcans recto tramite incedit versus Dei regnum, sed mox aspectum & desiderium suum ad eadem vitia rursus convertit, aut vanitate mundi, quam à tergo relinquere debemus, delectatur, aut hujus seculi curis se rursus implicat, ille & animam suam vulnerabit, & delirabit, nec rectos sulcos ducet. Nam quicumque à bono inchoato retrospicit, ille mente ad secularia redit. Itaque perseverantia in bono opus est. Non decet, ut qui cum Lotho ex Sodomis egressus est, malorum consortium & societatem ad Dei præceptum devitans, cum uxore ipsius respiciat, nisi in salis sta-

tuam mutari, aut alias à Deo puniri velit. Gen. 19. v. 26. Sic filii Israel, postquam egressi erant de Ægypto, corde & mente eodem respexerunt, optantes ollas carnium, cucumeres, pépones, cape & alia. Num. 11. v. 5. sed nullus eorum ingressus est in terram promissionis, verum omnes in deserto perierunt. Et Paulus conqueritur 2. Tim. 4. v. 10. Demas me dereliquit, amplexus præfens seculum, & profectus est Thessalonicam. Dolenda profecto est inconstantia multorum, & lachrymis deploranda, quod ad quemvis fortunæ sive prosperæ sive adversæ flatum, rectam & bonam viam deserunt, & ad mundi exemplum deflectunt. De Chamæleonte referunt, eum colorem mutare secundum omnes species quibus admovetur: sic quidam omnibus hujus seculi filiis sese accommodare norunt, ut juxta illorum nutum bonum animi propositum mutent, & quocumque illi volunt, se impellere ac transversos agere patiantur. Et sicut de Chamæleonte referunt, eum quosvis alios colores, præterquam album, recipere: ita ejusmodi homines in omnes formas sese transmutant. tantum verum animi candorem nunquam recipiunt. Oportet ergo in bono proposito perseverare, & instar arantis progredi, hoc est, semper de bono in melius tendere atque proficere. Sicuti Ezech. cap. 1. vers. 9. de quatuor suis animalibus, Evangelicum Christi currum trahentibus, dicit: non revertebantur, cum incedebant: sed unum quodque ante faciem suam gradiebatur. Et Paulus de seipso, Phil. 3. vers. 13. Quæ quidem retro sunt, obliviscens, ad ea quæ sunt priora extendo meipsum, ad bravium supernæ vocationis Dei in Christo Jesu.

Hæc de tribus istis Christi sectatoribus dixisse sufficiat. Quorum primus fuit hypocrita, alter cunctator, tertius ambidexter. In primo nos Christus monet, ne nostra, sed quæ ipsius sunt, quæramus. In secundo, ut nos ipsos & omnia nostra ipsius causa abnegemus. In tertio, ut postquam semel ipsi nomen dedimus, constanter cum ipso ad finem usque perseveremus. Qui plura de ipsis audire cupit, consulat 63. caput Harmoniæ nostræ.

\*\* \* \*  
\* \* \*

## CAPUT XCVII.

CONTINENS EMISSIONEM SEPTUAGINTA  
DISCIPULORUM, LUC. IO. v. I.

## RATIO ORDINIS.

**N**on est dubium, Lucam Evangelistam hanc historiam justo loco & ordine posuisse. Quod non tantum ex illa particula *post hæc*, postquam nimirum relicta Capernaum Hierosolymam tendebat, & animum ad moriendum confirmarat: sed potius etiam inde colligimus.

Harm. Tom. I.

Dixerat Joh. c. 7. v. 10. Christum Hierosolymam ad festum tabernaculorum ascendisse, non manifeste, sed velut in occulto. Jam vero, quia secum ducebat tantum numerum discipulorum, non potuisset occulte in urbem ingredi. In finibus itaque Samariæ adhuc constitutus, majorem eorum partem à se ablegat, nec ullos præterquam duodecim Apostolos secum

S S S

cum retinet. Et quia Lucas prius dixerat *dies assumptionis ejus impleri*, ne quis putet eum jam è vestigio Hierosolymis mansurum, ibique statim moriturum, iccirco hos emittit *in omnem civitatem & locum*, quo ipse erat venturus, innuens, se adhuc ante mortem semel ex Hierosolymis in omnes plagas excursurum, & ibi repetitionem suæ doctrinæ cum visitatione auditorum instituturum. Quia ergo hic versabatur in finibus Samariæ, quasi in medio Palestinæ, dimisit eos circumquaque in Galiliam, Judæam, Samariam & Peræam, ut sic commode loca illa permearent, ac postea Hierosolymis ad Dominum redirent.

Cumque hunc annum 80. Jubilæum mundi, Moyses autem 30. probabiliter fuisse modo dixerimus, horum discipulorum præconio, ceu tubæ cantu placabilem illum annum Domini, *Jes. 61. vers. 2.* proclamari voluit. Huic ergo legationi hanc sedem in Harmonia attribuemus. Si quis excipiat & dicat: Atqui etiam hi 70. Hierosolymis in festo comparere debuerunt, juxta legem Dei. *Deut. 16. v. 16.* & proinde hoc tempore non potuerunt ablegari, ei respondemus, præsentem Messiam jam advenisse finem illarum ceremoniarum Mosaicarum, ac proinde Christum tanquam Dominum legis, hic legi non obstrictum fuisse.

## HISTORIA MISSIONIS SEPTUAGINTA DISCIPULORUM.

LUC. 10.

1. Μετὰ τὴν ταῦτα ἀπέδειξεν ὁ κύριος καὶ ἑτέρας ἐβδομήκοντα, καὶ ἀπέστειλεν αὐτὸν αἰὰ δύο πρὸς πόλιν καὶ χωρὸν, εἰς πᾶσαν πόλιν καὶ ἴπνον ἃ ἐμελλεν αὐτὸς εἰσελθεῖν.
2. Ἐλεγεν ἔνθα πρὸς αὐτοὺς ὁ κύριος ἑρισμὸς πολλὸς, οἱ δὲ ἐρώταται ὀλίγοι. διήγητε ἔνθα κυριεῖ ἑρισμὸς ὅπως ἐκβάλλῃ ἐρώτατας εἰς τὸ ἑρισμὸν αὐτῶν.
3. Ἰπάγετε, ἰδοὺ ἐγὼ ἀποπέμνω ὑμᾶς ὡς ἄρνες ἐν μέσῳ λύκων.
4. Μὴ βαστάξῃτε βαλάντιον, μὴ πήραν, μηδὲ ὑποδήματα, καὶ μηδὲνα κτ' ἵνα ἴδον ἀσπασθῆτε.
5. Εἰς ἅνθρωπον οἰκίαν εἰσερχοσθε, πρῶτον λέγετε, εἰρήνη τῷ οἴκῳ τούτῳ.
6. Καὶ εἰ ἔαν ἰδοὺ ἢ ἐκεῖ ὁ υἱὸς εἰρήνης, ἐπιναπαύσεται ἐπ' αὐτὸν ἡ εἰρήνη ὑμῶν. εἰ δὲ μήτε, ἐφ' ὑμᾶς ἀνακάμψεται.
7. Ἐν αὐτῇ τῇ οἰκίᾳ μένετε, ἐδίδοντες καὶ πίνοντες τὰ πρὸς αὐτῶν. ἀλλ' ἵνα ἐρώταται τὸ μισθὸν αὐτῶν ἴδον, μὴ μεταβάητε ἐξ οἰκίας εἰς οἰκίαν.
8. Καὶ εἰς ἅνθρωπον πόλιν εἰσερχοσθε, εἰ δέχωνται ὑμᾶς ἐδίδετε τὰ πρὸς αὐτῶν ὑμῖν.
9. Καὶ ἑραπευετε αὐτὸν ἐν αὐτῇ ἀδυνείῃ, καὶ λέγετε αὐτῷ, ἤγειρεν ἐφ' ὑμᾶς ἡ βασιλεία τοῦ Θεοῦ.
10. Εἰς ἅνθρωπον πόλιν εἰσερχοσθε, καὶ μὴ δέχωνται ὑμᾶς, ἐξελθόντες εἰς τὰς πλατείας αὐτῆς, εἰπάτε.
11. Καὶ τὸ κοινοῦ καλλήθεντα ἡμῖν ἐκ τῶν πλεως ὑμῶν ἀπομασώμεθα ὑμῖν: πλὴν τῶν τῶν γινώσκετε, ὅτι ἤγειρεν ἐφ' ὑμᾶς ἡ βασιλεία τοῦ Θεοῦ.
12. Λέγω ὑμῖν, ὅτι Σοδόμοις ἐν ἡμέρᾳ ἐκείνῃ ἀνεκώτερον ἔσται, ἢ τῇ πόλει ἐκείνῃ.
13. Οὐαὶ σοὶ χοραζὶν, καὶ σοὶ Βηθσαϊδά, ὅτι εἰ Τύρω καὶ Σιδῶνι ἐρένοι ὅτι αἱ δυνάμεις αἱ ὑψώμεναι ἐν ὑμῖν, παύλαι ἂν ἐν σαύκῳ καὶ σποδῶ καθήμεναι μετενόησαν.
14. Πλὴν Τύρω καὶ Σιδῶνι ἀνεκώτερον ἔσται ἐν τῇ κρίσει ἢ ὑμῖν.
15. Καὶ σὺ Καπερναὺμ ἕως ἔσχατον ὑψώθεισαι, ἕως ἃς ἀδύνατος ἐπιβασθήσῃ.
16. Ὁ ἀκούων ὑμῶν, ἐμὲ ἀκούει, καὶ ὁ ἀθετῶν ὑμᾶς, ἐμὲ ἀθετεῖ, ὁ δὲ ἐμὲ ἀθετῶν, ἀθετεῖ τὸν ἀποστείλαντά με.

1. Post hæc autem designavit Dominus & alios septuaginta, misitq; illos binos ante faciem suam in omnem civitatem & locum, quo erat ipse venturus.
2. Dicebat ergo illis: Messis quidem multa, sed operarii pauci. Rogate ergo Dominum Messis, ut extrudat operarios in messem suam.
3. Ite, ecce ego mitto vos, sicut agnos inter lupos.
4. Nolite portare sacculum, non peram, neq; calcamenta, & neminem per viam salutaveritis.
5. In quamcumq; domum intraveritis, primum dicitis, pax huic domui.
6. Et si tibi fuerit filius pacis, requiescet super illum pax vestra: sin minus, ad vos revertetur.
7. In eadem autem domo manete, edentes & bibentes, que dantur ab illis. Dignus est enim operarius mercede sua. Ne transite è domo in domum.
8. Et in quamcumque civitatem intraveritis, & susceperint vos, edite que apponuntur vobis.
9. Et sanate infirmos, qui in illa sunt, & dicitis illis, appropinquavit in vos regnum Dei.
10. In quamcumque autem civitatem intraveritis, & non susceperint vos, exeuentes in plateas ejus, dicitis.
11. Etiam pulverem, qui adhæsit nobis de civitate vestra, extergimus in vos. Tamen hoc sciote, quod appropinquavit in vos regnum Dei.
12. Dico vobis, quod Sodomus in die illo remissus erit, quam illi civitati.
13. Væ tibi Chorazin, væ tibi Bethsaïde, quia si in Tyro & Sidone factæ fuissent virtutes, que factæ sunt in vobis, olim in cilicio & cinere sedentes scelerum suorum egissent penitentiam.
14. Verum Tyro & Sidoni remissus erit in judicio quam vobis.
15. Et tu Capernaum, que usque ad caelum elata es, usq; ad infernum deprimeris.
16. Qui vos audit, me audit. Et qui vos spernit, me spernit: qui autem me spernit, spernit eum, qui misit me.

Perio-

## Periocha hujus Historiæ.

**E**tiam in hujus capituli expositione brevitati studebimus: quia pleraque, quæ hic ponuntur, c. 72. Harmoniæ hujus in legatione Apostolorum exposuimus. Ne ergo cum tædio lectoris eadem bis ponamus, tantum notabimus illa, quæ vel diversitatis quid habere videntur, vel superius omiſſa fuerunt. Totus autem locus duo præcipua membra complectitur. Unum exponit circumstantias hujus missionis: Alterum instructionem, qua munit emittendos. Quibus quasi tertio loco subjungit denunciationem poenarum adversus contemptores hujus legationis. I. Quod circumstantias hujus loci concernit, hæc sunt. 1. Indicat tempus, quando hæc sint facta: *Post hæc*. Significat ergo Evangelista diserte, hæc tempora superioribus esse posteriora, & tum demum facta, cum jam Christus viam esse ingressus, & faciem suam contra metum mortis obfirmasset. Ut ergo alias suas profectioes & concionibus & miraculis illustravit: ita hanc missionem LXX. celebrem facere voluit, ut sic ubi vis locorum humani generis utilitatem procuraret.

II. Quos numero doctores designarit. *Alios septuaginta*, præter duodecim Apostolos, quos sub initium hujus anni emiserat. Hic controversia aliqua, sed non magni momenti, oritur. Cum enim vulgata versio adjecerit voculam *duos*: quidam non 70. sed 72. discipulos emissos esse contendunt. Nos Græcum textum sequimur: cum quo non tantum Chaldaus, sed etiam plerique Patres, Tertullianus, lib. 4. contra Marcion. Hieronymus lib. mans. ad Fabiolan. Ambrosius, Theophylactus, uterque in expositione super hunc locum, & Eusebius in primo volumine Ecclesiasticæ historiæ consentiunt. Hoc ipsum vero fecit Christus, ut sic Novi Testamenti veritas umbræ Veteris corresponderet. Quemadmodum ergo in veteri populo fuerunt 12. Patriarchæ, ex quibus duodecim tribus sunt propagatæ, & quos tota Judæorum gens pro suis progenitoribus agnovit: sic etiam Christus 12. Apostolos esse voluit, qui Judæos simul & Gentes ex immortalis divinitate verbi semine in filios Dei regenerarent, & quos tota Christiana gens pro suis Patriarchis agnosceret. Deinde, quemadmodum Jacobus cum 70. animabus in Ægyptum descendit, Gen. 46. v. 27. quibus Deus ibi ita benedixit, ut toti Ægypto formidabiles sint facti. Et quemadmodum Exod. 15. v. ult. filii Israel invenerunt in Elim 12. fontes aquarum, & 70. palmas, quibus fuerunt recreati. Quemadmodum item Num. 11. v. 16. cum Moses de onere regendi populi quereretur, Deus 70. viros de senibus Israel segregari iussit, quibus de Spiritu Mosis communicavit, eique ipsos adjunxit, ut in ferendo onere eum adjuvarent. Unde & postea mansit hæc consuetudo inter Judæos, ut in Jerusalem semper essent 70. veluti Senatores, qui cum principe Sacerdotum populum judicarent, & gubernarent: quorum etiam mentio fit Ezechiel. 8. v. 11. & ipsorum Senatus Sanhedrin

Harm. Tom. I.

sive *συνεδριον* dicebatur. Hos vero omnes Herodes, ut regnum suum stabiliret, interfici curavit, sicque Senatum illum abolevit, quod certe absque totius populi dissipatione fieri non potuit. Christus ergo ut ostenderet, præ foribus esse lætam novi populi, seu Ecclesiæ instaurationem, quæ initio inter Judæos eligi cœpta, mox per universum orbem terrarum maximis incrementis propagaretur: ubi animæ piorum doctrina tam Apostolorum, quam 70. novellorum horum Doctorum non minus refocillandæ essent, quam olim Israelitæ fluentis fontium & fructibus palmarum: qui denique magnum illum Prophetam Mosis loco nobis datum, in labore colligendi Ecclesiam, tanquam fideles ministri, adjuturi erant, peropportune Christus hunc numerum 70. præ aliis usurpavit. Quinam autem 70. hi discipuli fuerint, nusquam in sacris literis exprimitur. Veteres quidem conantur eos nominatim indicare, in primis Epiphanius lib. 1. Tom. 1. contra hæreses, sub finem. Et ex eorum numero scribit fuisse Matthiam, qui Actor. 1. v. 23. in locum Judæ Apostoli successit. Item septem Diaconos, qui Actorum sexto, versic. 5. ab Apostolis eliguntur, ut præsent mensæ & viduis. Præterea Lucas & Marcus Evangelistæ, Justus, Barnabas, Apollo, Ruffus, Niger, &c. ex hoc numero recensentur. Sive autem hi, sive alii fuerint, discant hinc verbi ministri, non semper ipsorum gloriam in eo sitam esse, ut eorum nomina singulari aliqua celebritate per ora omnium hominem volitent. Sint ipsi in officio fideles & pii, & lætentur de eo, quod, ut Christus postea v. 20. hisce 70. dicit, nomina ipsorum scripta sunt in cœlis, ibi cognoscemus certo, quinam hi 70. fuerint.

Utitur autem Evangelista verbo *ἀνεδείξεν*, designavit, quod usurpatur, si quis ad publicum officium destinatur. *ἀναδείκνυμι* enim & demonstrare & creare significat: Nam Magistratus, tum quando creati renunciatur, designantur, *ἀναδεικνύμενοι* dicuntur. Sic 2. Machabæor. 9. v. 25. Antiochus Epiphanes Judæis scribit, filium meum Antiochum *ἀναδείξα βασιλέα*, designavi regem. Unde colligere licet, Christum hosce 70. discipulos, non tantum rite elegisse, Apostolis suis, quod ad hanc legationem obeundam ipsos idoneos censeat, eos demonstrasse, sed etiam certis ceremoniis ad hoc officium ordinasse. Illud enim Græcum verbum *designare* hoc loco indicat.

Cæterum nec illud mihi displicet, quod aliqui ex hac duplici duodecim Apostolorum & 70. discipulorum ablegatione, etiam duplicem ordinem ministrorum Christi colligunt. Non quod unius officium alterius sit magis efficax: sed quod ratione ordinis, alter alterius quasi *ἐργασίας* inspector & gubernator constituatur. Missi sunt quidem à Christo etiam hi septuaginta discipuli: & tamen nusquam Apostoli vocantur. Apostolorum igitur dignitas quasi major & sublimior fuit, qui nobis representant Episcopos, sive quod

SSS 2

idem

idem latine sonat & est, Superintendentes. Discipuli autem septuaginta repræsentant reliquos verbi ministros, qui ex antiquo vocabulo *πρεσβυτεροι*, presbyteri, *Priester* (non ab annis semper, multo minus à sacrificando, sed ex recepta consuetudine septuaginta seniorum in Israele) nominantur. Sic Matthias Actorum 1. vers. 23. ex inferiore ordine ad superiorem proventus est, cum in Collegium Apostolorum adscisceretur. Talis ordo in Ecclesia nihil turbat, sed ad promovendos ministerii ratione prodest. Nam & Paulus Titum Episcopum reliquit Cretæ, ut is oppidatim constitueret presbyteros. Tit. 1. v. 4.

3. Quomodo illos miserit: *Misit eos binos*. Quomodo hæc duorum coniunctim instituta missio faciat, ad commendandam fraternam conjunctionem, ad consolationem in adversis, ad majorem veritatis contestationem, cap. 72. indicatum est. Quibus adde hoc, eo significatum, tale hoc negotium esse, ad quod unus non sufficiat: sed semper duos oculos plus videre, quam unum. Quod si Iesuitæ, hinc mutuati sunt illum suum morem, quo & ipsi semper bini incedere solent, tum caveant, ne ex ipsis fiant interdum trini, & tertius sit generis fœminini. Sicuti Viennæ Anno 1575. factum meminimus.

4. Quonam mittat: *Ante faciem suam, in omnem civitatem & locum, quo erat ipse venturus*. Christus constituit ipse secum, quod adhuc semel ante passionem & mortem Visitationem Ecclesiarum à se plantatarum instituere velit. Ut igitur passim homines parati essent, cupidius ipsum exciperent, attentius audirent, firmiter ei crederent, & ipse quoque commodius miracula edere posset, hæc legatos præmittere voluit, ut ubique homines de adventu ejus admonerent. Sic vero Christus docere voluit, præparatione animorum apud auditores opus esse, si ipse apud eos divertere, suorumque beneficiorum capaces reddere debeat. Hæc præparatio verbi ministris est commendata. Hi enim eodem officio cum Iohanne Baptista defungi debent, ut parent viam Domino, & rectas faciant semitas Dei nostri in solitudine. Jes. 40. vers. 3. Et ut præparent viam ante faciem Dei, quo ipse Dominator veniat in cor, tanquam ad templum suum. Mal. 3. vers. 1. Per auditionem enim verbi acquirimus fidem, Romanor. 10. vers. 17. per fidem autem habitat Christus in cordibus nostris, Ephes. tertio, versiculo 17. Invisibiliter ergo & spiritualiter subsequitur Christus ministros suos, & quando hi locum ipsi præpararunt, tum ipso animas credentium visitat. Quando autem ministri recte *ante faciem* Christi ambulare, eique occasionem præbere volunt, ut ipse subsequatur, omnino necesse est, ut prædicandi initium faciant à penitentia, & hominibus commoneant, quod ob innatam naturæ vitiositatem æterna morte digni sint. Deinde animos ipsorum erigant fiducia gratiæ & misericordiæ Dei, quam Christus passionis & mortis suæ merito nobis acquisivit, & per verbum atque sacramenta credentibus applicat. Qua applicatione facta, sponte sua fructus penitentia digni sequuntur, ut sic re ipsa conversi commoneant, sanctissi-

imum hunc hospitem domicilium cordis ipsorum occupasse, suoque eos spiritu regere.

Observa autem, quod, dum ipse Dominus *post eos venturus est*, quasi stimulum ipsis ponat, ut eo diligentius officium suum exequantur, scientes Magistrum subsequendum; & quidem subsequendum in *omnem civitatem & locum*, hoc est, præparare debuerunt, non tantum maiores coetus, quales sunt in urbibus amplis & castellis: sed minores quoque per pagos & villas. Vult enim Christus hanc peregrinationem omnibus esse fructuosissimam. Ut ergo agricolæ maiori cura & diligentia operantur, si sciant herum, qui artem agrum colendi ipse quoque probe callet, subsequendum, & de laboribus judicaturum: ita sane in hac spirituali agricultura, cujus artem celestis noster Magister omnium optime callet, omnes & singuli ipsum inspectorem & judicem habent, qui fideliter laborantes magnificis præmiis ornaturus, infideles autem severe puniturus est. Imo singuli Christianorum scient, se Christum Dominum omnium suarum operationum Inspectorem habere. Cujus oculus omnia cernit, & cujus iustitia omnia opera, verba & minimas quoque cogitationes nostras in die iudicii manifestabit atque examinabit, & cuius dignam operibus mercedem vel pœnam retribuet, nisi in hac vita per omnia cum ipso in gratiam redierit. Præterea, quod Christus suos discipulos sequitur, observaturus qualiter illi officium executuri sint, & correcturus si alicubi aberrassent, hoc Episcopos & Superintendentes, seu illos verbi ministros, qui aliis ordinis causa sunt præpositi, monet, ut & ipsi reliquorum suæ inspectioni commissorum labores & rationem docendi diligenter inspiciant, & attendant, utrum munere suo ita fungantur, ut Christo illud probare possint. Vere bonus pastor & Episcopus animarum nostrarum, (ut eum Petrus nominat. 1. Epist. 2. v. ult.) est Christus, qui discipulos suos emisit, non ad colligendas decimas, non ad implendum suum marsupium, sed ut Evangelium hominibus prædicent, & animas eorum ad se convertant: nec eo contentus, quod sanctos & innocuos verbi sui præcones misisset, ipse quoque sequitur, ut confirmet, quod ipsi operati fuerant. Quid faciunt nostri Episcopi Pontificii? Quidam Romæ vel alibi laute & delicate vivunt: de ovili suo, quod interdum ad centum milliaria abest, nihil aut parum solliciti. Quidam suos habent cursores per Episcopatus, sed tantum hoc fine, ut universam substantiam subditorum exhauriant, ac tandem etiam omnem sanguinem ebibant: animæ salutem nihil curantes. Alii ad diœceseos suæ auditores quidem exeunt, sed miseris ovibus satius fuisset, eos nunquam ad ipsos pervenisse. Nam ad nullum oppidum perveniunt, cui non vel graves censuras & excommunicationes imponant, vel pomposo comitatu illud ita gravant, ut omnem adipem & pinguedinem ovium exhauriant, siquidem ex ipsorum substantia ipsi delitiis & voluptatibus affluere volunt. Quid vero olim Christus Archiepiscopus hæc male fidei Subepiscopis dicturus sit. Illud suo loco ex Joh. 10. cap. audiemus.

5. Causam hujus sui instituti etiam Christus Apostolis indicat. Etsi enim eam ex prioribus colligere possimus, nimirum voluisse Christum, ut sibi quasi hospitium pararent, quo majori cum fructu ipse ubique transiret: eleganti tamen Metaphora ipse plenius illam exponere voluit. *Mel- sis quidem multa, sed operarii pauci.* Vis sermonis hæc est. Magna messis requirit multos operarios. Doctrina Evangelii, hætenus à me in tota Palaestina proposita, habet rationem magnæ messis. Ergo requirit multos ministros. Atque hoc dicit Christus in consolationem horum suorum legatorum, quo bene sperent. Cursum enim hujus ipsorum ministerii nequaquam suo fructu cariturum testatur. Passim enim jam hominum animos esse excitatos, ad avide percipiendam veritatem, modo ejus fideles Doctores habere possint. Ut ergo eo alacriores ad peragendum hoc officium progrediantur, de messe ipsis dicit, non de semente. Sicut etiam fecit Joh. 4. v. 35. Cui imponitur labor seminandi, illi res tritis injungitur: quia longo tempore & magna patientia opus est, donec fruges maturescant. Sape etiam segetes in hyeme pruinis & frigoribus, in aestate autem pluviis aut grandine sic perduntur, ut qui seminavit, parum de eo lætetur. Qui vero metit, ille lætatur, ut Jesaias cap. 9. v. 3. testatur: quia percipit fructum laborum. Ita gaudium esse debet Evangelii præconi, si prædicationem suam fructum afferre videat in cordibus fidelium. Fructus enim prædicationis verbi non debet esse, ut ministri venentur laudes hominum, honores aut dignitates, aut ut populo sint grati & accepti, aut ut saltem nominis sui & famæ celebritatem quarant: sed ut Christus à multis agnoscat, recipiatur, vera fide colatur, sicque multum tritici ad cæleste horreum Dei advehatur.

Est autem accurata consideratione digna metaphora *Mel- sis*, cui collectio Ecclesiæ non tantum hoc in loco, sed etiam alibi frequenter in scripturis, confertur. Sicut enim in messe, non nuda grana, sed etiam paleæ atque stramina in aream convehuntur, ubi postmodum per triturationem & cribratioem ab invicem separantur: sic per Evangelii prædicationem in Ecclesiam Christi adducuntur tam boni quam mali, sed per tentationem ab invicem distinguuntur. Porro quemadmodum in ventilatione tritici, quando illud in area mundatur, grana, utpote ponderosiora, ad mundantis pedes cadunt, paleæ autem rapido vento feruntur: Psalm. 1. v. 4. ita recti & justii in tentatione ad Deum per pœnitentiam & preces accedunt, mali autem fugiunt & recedunt ab eo. Exempla hujus postulas? Bonorum exempla sint Job in sua tribulatione: Job. 1. v. 21. David ad aream Areuna Jebusæi. 2. Sam. 24. v. 17. Josaphat in periculo contra filios Ammon, Moab & Esau. 2. Par. 20. vers. 12. Ezechias in suo morbo. Jes. 38. Jonas in ventre cœti. Jon. 2. v. 2. Ipse Servator in monte Oliveti, totus suo cruore madidus, cecidit ad pedes Patris super faciem suam, orans. Luca. 22. vers. 41. Malorum, qui in stat palearum disperguntur, & procul à Deo projiciuntur, exempla sint. Saul, qui cum in angustia Deum invocare deberet, confudit pythonissam. 1. Sam. 28. v. 7. Afa. 2. Par. 16. v. 12. qui in infirmitate sua non quaesivit Dominum, sed

Harm. Tom. I.

magis in medicorum arte confisus est. Et confimiles plures. Licet autem nunc in Ecclesia paleæ mixtæ sint tritico: non tamen illud in æternum durabit. In novissimo die mali à bonis separabuntur. Matth. 13. v. 30. Observa simul, quod licet paleæ non serviant usibus hominum: tamen propter triticum serventur. Paleæ enim grana conservant & defendunt, ne tam facile aeris intemperie lædantur, neve ventorum vi excutiantur. Sic mali in mundo conservantur propter bonos: & mali bonis per accidens in eo profunt, quod per ipsos hi exercentur in pietate, & patientia, ut August. testatur in Psal. 63. Denique in agro una spica est proceræ & sublimis, altera humilis: sed quando messor accedit, eas omnes ex æquo resecat & in humum prosternit, ut non sit facile cognitu, quanam præ aliis eminuert, quæ minus. Sic in Tragœdia hujus mundi, alii sunt potentes & sublimes, alii humiles & abjecti: alii divitiis affluentes, alii inopia laborantes: alii docti, alii idiotæ: alii excellentes, alii abjecti, quorum memoria adhuc vivo corpore est sepulta. Sed quando vel tandem mors, cum falce sua acutissima accesserit, atque filum humanæ hujus vitæ resecat, tum omnes, sublato omni discrimine, æquales redduntur. Aperias defunctorum sepulchra, aut polyandrion adeas, & mihi aliive monstres, quis pulcher vel deformis, quis dives vel pauper, quis potens vel abjectus fuerit. Utiq; mors sava omnia æquat.

Miretur autem quis, Christum hic, ut & in superioribus, conqueri de eo, quod sint *pauci operarii*, cum tamen Judæis de his quam optime & opulenter prospectum fuisse videatur. Habuerunt magnum suum Sacerdotem & Præsidem sacrorum, cui suberant reliqui Sacerdotes Aaronici generis, qui ob eminentiam & dignitatem in Evangelio etiam principes sacerdotum dicuntur, qui clavem scientiæ se habere gloriabantur, & magno cum supercilio Mosis cathedram sibi vendicabant. Levitarum autem ingens erat numerus, qui Mosis tempore, Num. 3. v. 29. & 26. v. 62. ad viginti tria millia recensiti fuerunt. Hi per omnes Synagogas regionis dispersi, docendi munus sibi usurpabant. Inter hos autem primores erant Scribæ, legis periti, Pharisei, qui præter eruditionem, etiam sanctitatis laudem sibi arrogabant. Quomodo ergo in tam copioso numero Christus *paucos operarios* fuisse, dicere potest? Sed responsio est facilis. Christus non loquitur de operariis iniquitatis, Matth. 7. v. 23. aut malis, Phil. 3. v. 2. quorum semper magnus est numerus: sed de fidis, laboriosis & industriis, quibus Dei gloria & hominum salus cordi est, & qui hoc unicum curant, ut populum in veritatis cognitione instituant, eumque Christo, in quo unico salus & vita nostra consistit, adducant. Horum certe tum temporis apud Judæos erant pauci. Accommodemus hæc ad nostra tempora, ut & hic agnoscamus, non esse omnes fidos Christi operarios in messe spirituali, qui se eo nomine in Ecclesia venditant. Vivit inter Christianos Pontifex Romanus, qui vult esse *primus* & vicarius Christi. Habet is sub se senatum Cardinalium, qui columna Ecclesiæ videri volunt. Passim in regnis, provinciis & regionibus distributi sunt Archiepiscopi, Episcopi cum suis suffraganeis, qui Apostolorum & Inspectorum vi-

ces

ces, sua opinione, subeunt. Hos sequuntur Canonici in templis cathedralibus, cum parochis & plebanis, qui omnes ex Ecclesiæ bonis victitant. Ut jam taceam ordines minores, quales sunt Lectores, Exorcistæ, Acoluthi & alii, cum quam plurimis Monachorum gregibus. Hi omnes, quia ex annuis Ecclesiarum redditibus ditantur, merito ejusdem salutem docendo promovere debebant. Sed quid faciant, qualesque se gerant, res ipsa loquitur, ut non immerito cum Christo de locis illis, in quibus ipsi dominantur, conqueramur: *Messis ibi quidem copiosa, sed operarii pauci.*

Quid igitur in hac inopia fidorum operariorum faciendum? Id Christus docet, inquit: *Rogate Dominum messis, ut extrudat operarios in messem suam.* Hæc quidem Capit. LXXI. hujus Harmoniæ quoque sunt explicata: lubet tamen verba vel obiter saltem percurrere. *Dominus messis* est ipse Jesus Christus Salvator: cujus pecalium & agricultura sumus, tum ratione creationis, tum ratione Redemptionis. Hic sponte quidem sua paratus est prospicere suæ Ecclesiæ, quam sanguine suo acquisivit: nihilominus tamen rogari vult, ut sic commonstremus, nos grata mente agnoscere ingens ipsius esse beneficium conservationem ministerii. Neque enim supplicium, magis acerbum populo five nationi alicui infligi potest, nisi quando Deus ab ipsis verbi sui prædicationem remouet. Sicuti Israelitis minatur Amos 8. v. 11. quod ipsis immittere velit famem audiendi verbum suum. Vult ergo rogari, *ut extrudat operarios*, hoc est, Doctores & Prædicatores, qui non otium quarant, sed cum labore & molestia Ecclesiæ ædificationem promoveant. Et quia multi laborem subterfugiunt, alii vero imbecillitatem suam cum muneris difficultate conferentes tergiverfantur: sicuti Moses & Jeremias fecerunt: ideo *extrudi* vult. Nam qui sponte sua currunt, aut qui malis artibus vocationes suas procurant, Deo non probantur. Jer. 23. v. 21. Paulus quoque dicit Rom. 10. v. 15. *Quomodo prædicabunt, nisi mittantur?* Mitteri autem debent in *messem suam*, hoc est, Domini, non ad temporalia. Ut ministri hic nihil sui quarant, sed tantum ea, quæ sunt Domini. Huic & Paulus dicit 2. Corinth. 12. v. 14. non quæ vestra sunt, sed vos. Vides igitur quam laudabiliter illæ Ecclesiæ faciant, quæ si quando functione aliqua apud ipsos vacat, publicas preces ad Deum instituunt, ut is ejusmodi ministrum rursus largiatur & concedat, cui gratia Dei & Ecclesiæ ædificatio curæ sit: qui item sinceræ doctrinæ cum zelo addictus, sit insuper inculpata vitæ: ne quod una manu ædificat, altera rursus destruat. Hæ preces quoniam à multis negliguntur, quid mirum apud eos ministrorum vocationem male cedere?

6 Fortunam etiam novæ functionis indicat. Nam ne omnia lata & tuta sibi promittendo nimium confidentes & securi essent, dicit: *Ecce mitto vos sicut agnos in medio luporum.* Hic non scrupulose philosophandum est, quare supra Apostolos *ovæ* vocarit, hic autem discipulos *agnos* nominet. Sensus enim utrobique idem est. Admonet autem hoc nomine discipulos, castitatis, simplicitatis & publici commodi. *Agnus*, à Græco *ἀγνός*, derivatur, quod castum significat. *Agnus* etiam natura innatam habet simplicitatem. Re ipsa de-

nique *Agnus*, quantus quantus est, hero suo utilis est. Caro & lac cibo inserviunt: vellus & lana indumento: stercus medicinæ & fecundandis agris. Tales etiam fideles ministros Christo & Ecclesiæ esse decet. Hostes autem Evangelii sui, quales tum erant Sacerdotes & Pharisei, Christus non simpliciter pro malis habet, sed *lupos* vocat, partim propter rabiem, qua contra Christum & ipsius Apostolos ardebant, partim propter potentiam, qua ad vorandum erant instructi. Quod vero Christus, hic discipulis suis dicit, illud omnes fideles verbi ministri sibi accommodare possunt. Ut enim Deus Ezechieli dixit, c. 2. v. 6. *fili hominis, tu cum scorpionibus habitas: ita omnes egregii concionatores inter lupos ambulant.* Ideo quotquot mittuntur, ad martyrium parati esse debent. Si melioris fiant conditionis, propterea Deo gratias agant. Ideo etiam non dicit, *mitte* vos, sed *mitto* de præsentis, ut sciamus ipsum esse, qui nunquam Ecclesiæ suæ obliviscatur, sed semper & omni tempore ei fideles operarios mittat. Nam hac de causa etiam ad cælos ascendit, & ad dexteram Patris confedit, ut Paulus explicat Eph. 4. v. 11. ut Ecclesiæ suæ ministros det.

Utcunque autem Christus hisce suis discipulis pericula prædicit: tamen ire jubet, & quidem uno verbo *ἰσχυρῶς, Ite.* Sic omnem tentandi & tergiversandi occasionem præscindit. *Ite*, nec quiescat: quia messor semper procedit & ambulat. Ne ergo sitis in Dei itinere tardi, vel pigri. *Ite*, inquam. Sed nunquid ad venandum? nunquid ad piscandum? ludendum? ad commessandum? Ad hæc Christus suos ministros nunquam emittit: nisi venationem spirituales intelligas, quod scilicet Christus venaturus lupos, agnos emittat. Sæpius enim factum est, ut hujusmodi agni à Christo emissi, dum verbum Dei fideliter & diligenter populo proposuerunt, simul etiam lupos allicerent, qui deposita feritate, Christo manus darent: atque sic lupus habitaret cum agno, & pardus cum hædo accubaret. Jer. 11. v. 6. Certe Saulus fuit lupus rapax, Gen. 49. v. 27. qui mane prædam venatus est, dum passim Christi discipulos Damascum ulque persecutus est. Act. 9. v. 1 sed vespere divisit spolia, & quovis agno mansuetior Apostolis cohabitavit.

Proinde consolationis loco addit: *Ecce ego mitto vos.* Magnam emphasis habent hæc verba. Potuissent enim discipuli Christo dicere: qui sit, quod nos inermes adversus mundi potentiam emittis? Perinde facis, ac si leporem inter canes venaticos projiceres. Quæ nobis arma tribuis? quas vires, ut hisce resistere possimus? Ibi Christus respondet & dicit: *Ecce ego mitto vos.* Perpendite, quis sit ille, qui vos mittit: *Ego sum, Ego sum*, qui draconem illum magnum cum suis angelis, è superis sedibus ejeci: Apoc. 12. v. 9. qui primum mundum aquis diluvii delevis, Gen. 7. v. 22. qui Sodomam & Gomorrhæam, igne cælitus demisso combussit. Gen. 19. v. 24. qui Mosen & Aaronem ad versus Pharaonis iram defendi, & tandem impium illum regem (postquam regnum ipsius decem durissimis plagis affeci) in mari rubro demersi, Exod. 14. v. 28. *Ego*, qui delevis Amorrhæos, Jebusæos, Hevæos, Chanaanæos: qui terræ præcepti, ut Core, Dathan & Abiron vivos deglutiret: Num 16. v. 32. qui serpentes ignitos in desertum

miti

missi, ut populum contumacem interficerent: Numer. 21. v. 6. *Ego sum*, qui muros Hiericho solo æquavi. Jos. 6. v. 20. qui super Ochoziæ regis milites, Heliam capturos, ignem de cælo dejeci, ut ipsos devoraret, 2. Reg. 1. v. 10. qui potentissimum exercitum regis Sennacherib una nocte potenti manu superavi. 2. Reg. 19. v. 35. Quid multis? *Ego sum* Dominus fortis & potens, Dominus potens in prælio. Psalm. 24. v. 8. Si ergo, mei discipuli, oculis fidei intueamini potentiam ejus, qui vos mittit, qui sua virtute vos defensurus est, nihil timebitis. Hæc omnia verissima esse, vel unius Apostoli Pauli exemplum diligentius consideratum, comprobatur. Quomodo enim is ex tot periculis fluminum, latronum, Judæorum, Gentilium & falsorum fratrum, ex tot periculis in urbibus, in desertis, in mari, ex tot vinculis & carceribus, etiam inter grandines lapidum, salvus & incolumis evasisset, prout ipse 2. Cor. 11. v. 23. proluxe recenset, nisi hæc invicta Christi potentia eum tutata esset? Hæc ergo de primo membro hujus legationis repetenda visa sunt.

II. Instructionis quoque capita singula breviter inspiciamus. 1. Primum admonet de viatico seu comæatu. *Nolite portare sacculum, neque am, neque calceamentum.* Hoc etiam primum fuit præceptum in missione Apostolorum: quod tamen in sexto ibidem aliquo modo repetitum est. Emittit discipulos suos pauperes & egenos, nec ulla rerum necessariorum copia instructos. Facit autem hoc non tantum propterea, ut eos commonefaciat, ipsos in hac professione expeditos esse debere, quo mature ad se revertantur: sed etiam ut divinam suam omnipotentiam commonefret, quod nihilominus ipsis & aliis omnibus, legitimam vocationem sectantibus, possit prospicere, licet sine sacculo, sine pera, sine calceamentis exeat. Imo quod majus est, per hujusmodi pauperes Apostolos postea universum terrarum orbem in obedientiam fidei suæ prostravit. In Veteri Testamento Deus legis suæ observatoribus multa temporalia bona promissit, terram lacte & melle fluentem, victorias contra inimicos, longævam vitam & consimilia. Et viderunt gentes magna Dei, quæ in populo suo Israelitico operabatur. Paucissimi tamen tum inventi sunt, qui abjecta idololatria legem Moïsi receperunt. Rahab Hierichuntina id fecit Jos. 2. v. 9. Hanc secuti sunt Gibeonitæ, Jos. 9. v. 3. Item Ruth Moabitica, Ruth. 1. versic. 16. Naaman Syrus, 2. Regum 5. versic. 17. Achior in libro Judith. cap. 14. v. 6. cum paucis aliis, qui nomina sua dederunt Deo Israelis. Mirabile autem dictu, quod Christus, qui suis nihil magnifici dedit: sed tanquam agnos inter lupos devorandos emisit, & prædicanda commisit ea, a quibus caro natura sua abhoreret, ut crederent in Jesum crucifixum, & morti adjudicatum, ut item admitterent paupertatem, vincula, tribulationes & multa adversa: & tamen omnes fines orbis terræ crediderunt, Jesum crucifixum esse filium Dei, & ad ipsum sunt conversi. Potentissimi principes, spernentes divitias, crucem Christi amplexi sunt: tenerrimæ virgines & matronæ flagellis, scorpionibus, igni & gladio se exposuerunt, & pro fide Christi certarunt. Quis hoc facit? Solum Deus, qui potens est gratia superare naturam.

Harm. Tom. I.

Ideo Paulus recte & vere dixit: *ὁμοδοξουδίας* magnum esse pietatis mysterium, quod filius Dei manifestus in carne, prædicatus est gentibus, & creditus in mundo. 1. Timoth. 3. v. 16.

2. Alterum est de via, quales se in ea gerere debeant. *Neminem in via salutaveritis.* Non hæc est Christi mens, ut discipuli sui sint agrestes & inciviles. Nam & Maria mater Jesu salutavit Elizabetham: & hæc salutationis fructum mox sensit, Luc. 1. versic. 39. Christus etiam post resurrectionem, occurrens mulierculis, illas salutavit, dicens: *Averte.* Matth. 28. versic. 9. Sed festinationis Christus eos admonere voluit. Quia enim ex salutationibus fere prolixiores confabulationes, & benevolentium detentiones, oriuntur, Christus autem omnem moram, qua in prædicatione hac demandata impediri possent, abrumpi vult, ideo salutationem prohibet. Eodem ergo sensu Christus hoc loco salutationem prohibet, quo Propheta Elifæus famulo suo Giezi, cum ejus opera in suscitando filio Sunamitis uti voluit 2. Reg. 4. v. 29. Præbet autem hoc præceptum generalem regulam: in negotiis pietatis, & aliis etiam, quæ Dei causa sunt efficienda, non esse cunctandum, sed festinanter ea esse expedienda. Ne ullo prætextu, quantumvis in speciem bono & honesto, prætermittamus ea, quæ nostri sunt officii. Mundani principes non facile ferunt ministros segnes & procrastinatores. Unde Salomon dicit: *Vidisti virum velocem in opere suo?* coram regibus stabit, nec erit ante ignobiles, Prover. 22. v. 29. Et rex regum, Deus, ferret, si quis in ipsius operibus expediendis esset cunctator? Sic poenitentia, quam Deus requirit ab omnibus, non est procrastinanda: sed hodie, si vocem Dei audieris, noli obdurare cor tuum. Psalm. 95. versic. 8.

3. Tertium caput Instructionis agit de moribus in hospicio servandis. Voluit enim eos taliter formatos esse, ut ex conversatione eorum sancta homines etiam de doctrina judicium facere possent. Primum familiam honeste salutare jussit. *Dicite: Pax huic domui.* Hanc formulam ipsis præscribit, qua non tantum domesticis incolumitatem corporis præcarentur: sed simul etiam statim in limine indicarent, cujus causa advenissent, ut nimirum denunciarent & prædicarent illam pacem, quam Messias, princeps pacis, inter Deum & homines erecturus erat. Peccata nostra nos & nostrum Deum ab invicem dividerant, Jesh. 59. v. 2. Venit Christus, qui est pax nostra, ille rursus fecit utraque unum, Eph. 2. v. 14. Utque filius Dei totum mundum edoceret, se hujus pacis causa incarnatum esse, in ingressu suo in mundum, angelos cantare fecit: pax in terra, Luc. 2. versic. 14. & rursus in egressu ex mundo Apostolis suis dixit: *pacem meam relinquo vobis, pacem meam do vobis,* Joh. 14. v. 27. Imo post resurrectionem à mortuis ex paradiso rediens, semper ingeminavit illud: *pax vobis, pax vobis,* Joh. 20. versic. 19. & 21. Hæc est illa pax Dei exuperans omnem sensum, Phil. 4. versic. 7. Hanc pacem Christus per Evangelium nobis denunciari curat, ut fide justificati, pacem habeamus ad Deum, per Dominum nostrum Jesum Christum, Romanorum quinto, versic. 1. Admodum blande igitur Christus cum mundo, eum expurgaturus, agit. Eodem modo, quo

Siff 4

quo

quo Deut. 20. v. 10. præscripsit, ut populus Israeliticus, civitatem aliquam expugnaturus, primum pacem ei offerret. Sic Christus pacem offerri vult singulis domibus. *Et si filius pacis in ea fuerit, requiescat pax vestra super illum. Filium pacis vocat illum,* qui doctrinam pacis, seu ipsum Evangelium, non fastidit, illud attente audit & fideli corde suscipit. Si talis in illa domo est, ille prompte hospitio vos excipiet: ipse tamen etiam fructum & effectum salutationis vestræ sentiet. Nam Deus ratum habebit, & factum explebit, quod vos verbis precamini. Solet enim DEUS largissime remunerare, quod in ministros ipsius, hospitio eos suscipiendo, impenditur: & semper longe plus reddit, quam accipit. Abrahamus filio Dei apud se hospitanti mactavit vitulum: sed recipit *avridagen* filium dilectissimum, Isaacum, hæredem domus & promissionis, Genes. 18. v. 7. Loth angelis præbuit cœnam: sed ipsi eum liberarunt, ne cum Sodomitis periret, Genes. 19. v. 3. Rahab exploratoris hospitio suscepit: sed ipsa cum tota domo patris sui liberatur ab interitu, Jos. 6. v. 25. Sareptanus fillam panis concessit Helix prophetæ cum hospitio: sed hoc recepit, ne farina & oleum deficerent toto tempore famis, 1. Reg. 17. v. 14. Sunamitis Elifæum excipiebat in domo sua, sed donatur filio, cumque is mortuus esset, à Propheta resuscitatur, 2. Reg. 4. v. 35. Sic Deus *filii pacis* liberalissime & magnifice remuneratur, si se beneficos erga Christi ministros peregrinantes, ob Christi amorem, exhibeant.

Quod si vero illarum ædium incolæ contumaces sint, & pacis nuncium aspèrnerent, dicit Christus: *pax vestra revertetur ad vos.* Quod non eo sensu à Christo dicitur, quasi discipuli alias ita inflammati impatientiæ signa edituri essent, (sicut nuper in Jacobo & Johanne adversus Samaritanos vidimus) nisi pax ad eosdem reverteretur, quæ ipsorum corda ad patientiam permoveret. Sed vult Christus dicere, ipsis nihil periisse de suo officio, ob istorum incredulitatem. Pacis enim denunciacionem ipsis salvam futuram, ut ea ad alios uti possint, qui illam digne sint excepturi. Hoc magnam consolationem præbet illis verbi ministris, qui apud ingratos & Evangelio quasi indignos auditores laborare coguntur. Hi semper metuunt, ne fidelitas sua pereat, ipsique frustra tantos labores & curas sustineant. Sed bono animo sint, prudens æstimator nostrorum laborum Christus Jesus ipsorum fidelitatem videt, ejus etiam liberalis & fidelis futurus est remunerator. Et si nihil aliud remunerationis ad fidelem ministrum rediret, quam illud Ezech. 3. v. 19. tu animam tuam liberaisti, tum illud sufficere poterat.

Monet etiam hic locus, quæ sit præcipua causa tot turbarum & malorum, quæ passim infelicem mundum premunt. Nimirum Christus princeps pacis, mittit præcones Evangelii sui, qui mundo pacem denuncient & offerant. Sed ingratus mundus, hosce angelos pacis, non tantum non suscipit, sed etiam ita tractat, ut amare seant. Jesa. 33. v. 7. imo ipsos profeditiosis & turbarum autoribus habet, ac proinde procul à se repellit. Cum ergo passim tam pauci *filii pacis* inveniuntur, quid mirum etiam pacem ex mundo exulare? Simus *filii pacis*, & pacata erunt omnia.

Deinde ad mores etiam pertinet, quod dicit: *in eadem domo manete, & quod mox addit, nolite transire de domo in domum.* Non vult ut temere hospitia mutant, quod vel animi inconstantis & mutabilis indicium est: vel est conjunctum cum contumelia primi hospitis, quasi is sua inhumanitate vel sordibus peregrinum hospitem abegerit: vel etiam, occasionem præbet contentionibus & dissidiis, inter eos, qui hospites gratos ab aliis divertere conantur. Ut ergo D. Paulus improbat vetulas, quæ otiosæ, verbosæ & curiosæ discunt circuire domos, 1. Timoth. 5. v. 13. ita multo minus hoc vitium, Christus in suis legatis ferre vult. Si autem discipuli constantes in una domo permaneant, tum tanto rectius & clarius ipsorum sanctitas & integritas spectata reddi potest. Ubi enim speciestantum est pietatis, ibi per breve tempus quis eam simulare potest, per longum non item. Vera autem pietas elucescit per diutinam conversationem. In genere autem hoc Christi dictum monet, ut de animi stabilitate judicium sumamus, ex stabilitate loci. Vir, qui subinde de loco in locum migrat, eo ipso animi sui ægriitudinem prodit, quod parum firmi in animo suo habeat, atque sic quasi propriam umbram fugiat. Talis locum mutat, non animum, quem ubique vagum & instabilem invenit. Itaque infirmitatem & onus animi deponat, sic tranquillus & quietus esse poterit. Siquidem mutabilitate sua nemini plus quam sibi ipsi nocet, sicut planta sæpius translata, profundas radices non agit.

Denique ad mores etiam pertinet, quod dicit: *edentes & bibentes, quæ apposta fuerint.* Vult eos *εσθιεν τα ωσποστα*, Hebr. 13. vers. 5. ut boni consulant præsentem fortunam, & contenti sint vivendi ratione, qualis in illa familia, ad quam diverterunt, esse soleat. Est enim intolerabile vitium, si quis peregrinus aliena fruatur liberalitate, & tamen morosior fastidiat aut carpat omnia, quæ apponuntur. Cumque verbi ministri continentia, temperantia & frugalitatis exemplar esse debeant, ab illo vitio alienissimi sint, necesse est. Et caveant illi in tota sua conversatione, ne sint ex illorum numero, quibus nihil satis est. Arguit enim hoc animos ipsorum infatigabili avaritia occupatos: & vicissim aliorum animos ab ipsis alienat: denique eos suspectos reddit, quasi facillimo momento permoveri possint, ut ob qualemcumque pinguorem fortunam Ecclesiam fidei suæ commissam deserturi essent. Discant ergo illud Pauli 1. Tim. 6. vers. 6. Est quæstus magnus pietas cum animo sorte sua contento. Quod vero dicit: *edentes & bibentes.* Innuit necessarium victum nequaquam ipsis defuturum, licet sine sacculo & pera ipsos emittat: Se enim filios pacis excitaturum, ut pro prædicatione Evangelii ipsis liberaliter communicent necessaria. Verbum enim Christi, quod discipuli mox in salutatione filii pacis proposuerunt, ejus esse efficaciam, ut propter Christum illis hi nihil denegare possint. Ut enim verbum Christi effecit Matth. 21. v. 3. ut Domino asinum & pullum sine omni morositate dimitterent; & Luc. 22. v. 11. ut paterfamilias cœnaculum absque omni impedimento concederet: sic etiam Christi verbum, *pax huic domui*, effecit, ut paterfamilias discipulis ejus haud gravatim victum concederet. Et si Dominus Israelitis gratiam dedit coram

ram *Aegyptiis*, ut vasa aurea & argentea ipsis commodarent, Exod. 12. v. 36. quomodo non etiam hanc gratiam dedisset suis discipulis apud suos hospites, ut eos ad breve tempus alerent? *dignus est enim operarius mercede sua.* Hoc dictum fundatio sive fundamentum est stipendiorum Ecclesiasticorum. Nam *mercedis* nomine intelliguntur omnia, quae ad hujus vitae usum sunt necessaria. Et ex hoc Christi dicto Paulus prolixam illam doctrinam, quam 1. Cor. 9. de ministrorum sustentatione proponit, item sententias illas, Galat. 6. v. 6. 1. Tim. 5. vers. 17. desumpsit. Et hanc *mercedem* olim verbi praecones a suis auditoribus, qui ad illorum sustentationem liberaliter contribuebant, accipiebant. Hodie fere tolerabilior est ratio, quando Ecclesiae principum & magnatum liberalitate ditata, certos redditus habent, ex quibus verbi ministri aluntur. Sed & hic varie peccatur: alii infideliter haec bona dispensant: alii in prohanos usus ea rursus convertunt: alii etiam invidiam verbi ministris, quod citra ipsorum dispendium accipiunt ex liberalitate Majorum. Verum tales sui ulciscuntur mores: interim verbi ministri se in fidelitate sua turbari nequaquam permittunt.

Potest hoc dictum etiam ulterius extendi: ne nimirum magnates & alii ditiores, qui aliorum opera & ministerio utuntur, quoniam sua mercede fraudent. Lev. 19. v. 13. dicit Deus: non morabitur opus mercenarii tui apud te usque mane. Moses etiam Deut. 24. v. 15. & Jacobus cap. 5. v. 4. inter clamantia peccata referunt, si merces eorum, qui manuum labore victum quaerunt, detineatur. Syracides quoque dicit, cap. 34. versic. 26. qui fraudem facit mercenario, quasi qui effundit sanguinem: & qui aufert in sudore panem, quasi qui cecidit proximum suum. Mal. denique 3. vers. 5. Christus minatur, se ex Ecclesia sua ejicere velle eos, qui calumniantur mercedem mercenarii. Quid ergo mirum, mille infortunia mundum exercere, cum passim audiantur gemitus operariorum & opificum manuariorum, quibus partim merces laborum debita non redditur, partim violenter abripitur, quod duro labore compartent? Deus mundo saniorum largiatur mentem.

4. Quartum caput instructionis hujus agit de officio apud bonos & fideles auditores praestando, quo ipso status hujus legationis indicatur. Deus ipsis mandat, unum quod verbis praedicent: alterum, quod facto peragant. I. Verbis praedicare debent: *appropinquavit regnum Dei.* Judaei avide expectabant illud tempus, quo Messias temporaliter regnurus, & ipsi omnibus suis hostibus dominaturi, sicque omnium regum imperium per universum orbem habituri essent. Sic nimirum intellexerunt regnum Messiae ipsi discipuli, Luc. 24. vers. 21. & Act. 1. versic. 6. Dominus autem Jesus illorum animos a terrenis abstrahere, & ad caelestia convertere volens, aliud *regnum*, non terrae, sed *Dei*, seu caeli, praedicare jubet. *Instat*, inquit *regnum Dei*, in quo rex caelestis, leges caelestes, cives caelestes, opes caelestes inveniuntur. Vult ergo dicere. Dominium haecenus in orbe mors obtinuit, ab Adamo ad mea usque tempora, in omnes homines, Judaeos pariter & gentiles. Et dominium istud se extendit non ad corpora saltem, sed etiam ad animas, propter peccatum. Prae-

dicare ergo adesse salutiferum illud tempus, quo peccatum expiabitur, iniquitas delebitur, pravificatio finem accipiet, & adducetur sempiterna justitia Daniel. 9. v. 24. Tempus, quo per mortem destruetur is, qui mortis habet imperium, id est, diabolus. Et liberabuntur illi, qui timore mortis per omnem vitam obnoxii sunt servituti, Hebr. 2. v. 14. Praedicare autem, & dicite: *regnum Dei appropinquavit ad vos.* Regnum Dei nimis sublime & in caelis positum est, ut vos non possitis eo ascendere, & inde ad vos deducere. Ergo ipsum venit *ad vos.* Non opus est, ut magno labore, aut sumptibus illud acquiratis. Nam venit, non ex operibus justitiae, quae vos faciatis: sed secundum suam misericordiam Deus vos salvos faciet. Tit. 3. v. 5. Agnoscant ergo hinc verbi ministri finem suae praedicationis: qui hic est, ut *regnum Dei* in hominibus instauretur, peccatum destruat, & homines se totos Deo per fidei obedientiam consecrent.

2. Alterum, quod facto peragere jubet, hoc est: *sanate aegrotos, qui in civitate illa fuerint.* Miracula doctrinae addit, ut sive praecedant, sive eam sequantur, confirmationi illius serviant. Miracula autem ejusmodi concedit, non quae ad curiositatem vel ostentationem sunt composita, sed quae auditoribus sunt salutaria, & praedicationi respondent. Nam constat morbos una cum morte ex peccato originem trahere, propter quod interdum etiam Satanas potestatem accipit in homines sciendi. Dum ergo discipuli hi in nomine Jesu morbos profligant, eo ipso confirmant id, quod verbis docuerunt, adesse nimirum salutiferum illud tempus, quo peccatum expiari & diaboli potentia infringi debeat. Hoc notandum propter illos, qui miraculorum usu non ad Christi agnitionem, sed divorum caeliticum cultum, vel idolomaniam potius, abutuntur. Interim, dum miracula illa deserunt, discant verbi ministri, hoc praeepto infirmorum curam sibi demandatam esse. Huc pertinet doctrina Jacobi c. 5. v. 14. Infirmatur quis in vobis? inducat presbyteros Ecclesiae, & orent super eum. Confirmavit Christus hac suo exemplo. Marc. 1. v. 30. egressus ex Synagoga, visitavit socrum Petri febricitantem. Joh. 5. v. 6. cum Hierosolymam ad festum Paschatis ascendisset, visitavit aegrotos ad piscinam Probaticam in Bethesda, ubi & triginta octo annorum infirmitate laborantem sanavit. Ut merito Syracida doctrina sit observanda, c. 7. v. 39. non te pigeat visitare infirmum: Ex his enim in dilectione firmaberis. Et Christus Matth. 25. v. 36. inter opera misericordiae ponit, visitare infirmos. Merito ergo taxandus est perversus illarum Ecclesiarum mos, quae verbi ministros ab aegrotorum visitatione liberos relinquunt, nec permittere volunt, ut domi per usum sacramenti in fide confirmentur. Certe si unquam per omnem vitam consolatione indiguimus, tum vel maxime illa adhibenda est, quando mortis violentia arcem vitae cor oppugnat. Illa vero ratione, qua aegri deseruntur, securitati quidem ministrorum consultitur, praesertim grassante lue aliqua epidemia & pestifera: verum quid Christo olim responsuri sint, mature praemeditari velint, qui dicer: infirmus fui, & me non visitastis. Quicquid enim non fecistis uni ex minimis meis fratribus, mihi non fecistis. Matt. 25. v. 43.

5. Postremum hujus instructionis caput docet

cet quid agendum sit cum contumacibus, qui Christi legatos nec admittere nec audire volunt. Hic dicit; 1. *Si vos non receperint egressi in plateas.* Permittit Christus, ut à malorum consortio recedant. Sicuti Moyses Israelitis, dicit Num. 16. v. 26. Recedite à tabernaculis hominum impiorum, & nolite tangere quæ ad illos pertinent, ne involvami peccatis eorum. Et Esaias cap. 52. vers. 11. Recedite, recedite, exite inde, pollutum nolite tangere, exite de medio ejus. Angelus etiam Apoc. 18. v. 4. de spirituali Babylone: Exite de illa populus meus: ut ne participes sitis delictorum ejus & de plagis ejus non accipiatis. Sic Christus suos abire jubet à consortio illorum, qui eos audire dedignantur. Et hoc facit ad discipulorum consolationem, ne se cogi opinentur, ut se quibusvis periculis offerant. In hac tamen discessione prudentia & circumspicione opus est, ne verbi ministri temere & præcipitanter deserant Ecclesias, in quibus adhuc multæ germanæ Christi oves inveniuntur. Sed tantum ab illis discedendum est, quorum deplorata improbitas, contumacia & incredulitas publice est nota. Aut certe ante discessum piis & morigeris sic est prospiciendum, ne illi deserantur. Et in plateis exire jubet: ut omnia aperte fiant, nec quicquam dissimulanter agatur. 2. Deinde in plateis jubet *excutere pulverem pedum.* Quo symbolo Judæi testabantur, istiusmodi homines, in quos pulverem excutiebant, sibi adeo execrabiles esse, ut ne pulveri quidem ipsorum communicare velint. Sicuti cap. 72. Harmon. in præcepto nono pluribus exposuimus. Hic quisque ipse secum cogitet, quot civitates, quot pagi in Europa inveniuntur, qui pulverem contra se excuti mererentur: utpote, qui non solum non audiunt verbum, sed illud insuper irrident & persequuntur. Verum talis improbitas inulta non abibit. Si enim David 2. Sam. 10. v. 7. magna severitate vindicavit contumeliam, qua Hanon rex Ammon legatos ipsius affecit: quomodo cælestis noster David non puniret irrisiones suorum nunciorum? Simul tamen hæc *pulveris excussio* nos admonere debet, ne quicquam commune habeamus cum impiis, ita ut nec pulvis eorum nobis adhæreat. Sic Abrahamus pater fidelium, Gen. 14. v. 22. ne minimum quidem donum à rege Sodomorum voluit accipere. Josua quoque noluit Israelitas ditari ex spoliis Hiericho. Jos. 6. v. 18. Et cum Saul, contra præceptum Domini multa asservaret de gregibus & preciosis rebus Amalecitarum, commeruit ut regno privaretur. 1. Sam. 15. v. 9. Sint ergo impiorum *κεμήλια* omnia, nobis *ἀναθήματα*. 3. Reperi debet concio oblata gratia: hoc tamen scitote, *appropinquasse ad vos regnum Dei.* Vult ut publice protestentur, damnationis eorum causam esse aliam nullam, præterquam propriam malitiam. Regnum enim Dei & vera salus intra ædes ipsorum ipsis oblata est, sed eam noluerunt recipere. Volunt ergo dicere: In die judicii hoc vobis ad majorem damnationem serviet, quod Evangelium vobis est prædicatum, sed vos illud rejecistis. Nam nos ipsi tum contra vos surgemus, & testes præfractæ hujus vestræ contumaciæ erimus. Vident itaque verbi præcones, Evangelium etiam iis prædicandum esse, apud quos nihil proficit. Faciet enim hoc ad tanto ma-

jorem ipsorum damnationem. 4. Ne quis pulveris excussione, quæ ab hominibus externis & vagis (ut videbantur) fiebat, ceu rem leviculam rideret, Christus seriam gravissimæ pœnæ comminationem infert, & dicit; *Sodomis tolerabilis futurum in illa die* (novissimi nimirum judicii) *quam civitati illi.* Nam quo major gratia offertur, tanto majus peccatum committitur, si ea spernatur: tantoque acerbiores pœnas ejusmodi contemptores merentur. Sed hæc cap. 72. plenius sunt exposita. Per collationem autem hinc colligere licet, coram Deo gravius aut atrocius peccatum nullum aestimari, quam sit contemptus Evangelii. Cum enim Sodomæorum scelera fuerint omnium maxima, & tamen Christus testetur, illorum judicium mitius futurum, quam contemptum verbi: omnino sequitur, hunc contemptum coram Deo esse maximum peccatum. Ratio hujus manifesta est & evidens. Vbi enim prædicationi verbi divini suus conceditur locus, ibi multa adhuc vitia, peccata & scelera impediuntur aut certe homines ad agendam de iis pœnitentiam permoventur. Ubi autem verbo Dei omne exercitium est interclusum, ibi plenis velis homines ad omnis generis flagitia perpetranda invehuntur. Ut vere Salomon dixerit: Cum defecerit prophetia, dissipabitur populus. Prov. 28. v. 18.

III. Quia sub finem instructionis Salvator mentionem fecit gravissimæ pœnæ, in quam incurrant civitates, quæ nuncios pacis Evangelicæ non suscipiant: eadem occasione sibi in memoriam revocat contumaciam quarundam civitatum Galilææ, quæ complures ipsius conciones audiverant, & miracula stupenda viderant, sed nihilo meliores factæ fuerant, nec pœnitentia prævitæ suam ad Deum conversionem testatam fecerant. His, quia jam valedixerat, nec ulterius ipsas præterquam adhuc semel quasi in transcurso invisurus erat, horrendum *ve* denunciat, & nisi adhuc pœnitentiam agant, & præsentis & futuri seculi pœnas indicat. Quia vero hæc Christi quærela superius capite LVI. hujus Harmoniæ, ex undecimo cap. Matthæi explicata est, non opus esse arbitror, ut pluribus eadem hic repetatur. Summa hæc est. Præcipua gloria civitatum, populorum, Principum est, si Christo & ipsius Ecclesiæ hospitium præbeant, & ipsi quoque ejus pars aliqua fiant. Hoc ad tempus fuerunt *Chorazin*, *Bethsaida*, (quæ quinque Apostolorum, Petri, Andree, Philippi. Ioh. 1. v. 44. Jacobi & Johannis patria fuisse indicatur) & *Capernaum*, ubi Christus præter illustres conciones quamplurimas, tot virtutes edidit, ut Sympatriotæ ipsius Nazarethani ipsi Luc. 4. v. 23. objecerint: quanta audivimus facta in Capernaum, fac & hic in patria tua. Sanavit ibi servum Centurionis verbo, Matthæi 8. vers. 13. filium Reguli, Iohan. 4. vers. 51. paralyticum in lecto per recti tegulas demissum, Matth. 9. vers. 7. mulierem fluxu menstruorum totos annos duodecim laborantem vers. 22. filiam Jairi ex mortuis suscitavit. v. 26. ut jam multa alia miracula taceamus. Hisce concionibus & virtutibus urbis illius incolæ in caelos usq; exaltati sunt; hoc est regni cælestis, pretio sanguinis filii Dei acquisiti, cives fieri poterant, adhuc nobilitate & rerum copia inter reliquas Galilææ civitates excelebant. Verum

Verum quia hanc suam dignitatem non agnoverunt, nec fructus Evangelio dignos attulerunt, *Et ipsi nunc Christus denunciati, & ad infernum usque demergendos* minatur. Observandum autem est, hanc ipsam denunciationem à Christo factam esse, non optando, multo minus malum tunc temporis inferendo, sed tantum futura annuncians: idque omnino in hunc finem. 1. Ut talia audientes, vitam in melius converterent. 2. In exemplum nobis & aliis hæc audientibus, ne in consimilem ingratitude incidamus. 3. Ex commiseratione, ut sit *non* dolentis. 4. Ut ostenderet, se futura præficere. Nam in devastatione Judææ & Hierosolymorum, prima calamitas Capernaumæ, & in ea has ipsas urbes pressit. Sicuti Josephus in libro 2. bell. Jud. proluxe describit. Nec dubium tunc temporis adhuc quosdam harum prædictionum Christi memores, pœnam Dei agnovisse, & seria pœnitentia ad Christum conversos, æternam pœnam evitasse, licet temporaliter cum reliquis incredulis Judæis interierint.

Cæterum, dum Christus Capernaumo tanto majorem pœnam minatur, quanto majora dona à Deo acceperat, sed per superbiam & ingratitude in eis abusa fuerat: eo ipso docet atrocius peccandos, qui majora beneficia acceperunt, si in ingratitude nota fuerint reperti. Si qui ergo cæteros antecellunt ingenio, literis, scientia, dignitate, diligenter ipsi secum expendant, quantum Deo sint obligati ad serviendum, terribile DEI judicium senturi, si dona sua non bene in DEI gloriam & Ecclesiæ ædificationem locent. Nam juxta D. Gregorium, quanto magis dona collata crescunt, tanto magis etiam rationes donorum crescunt. Ad hæc, si quis donis illis collatis multum effecerit, si omnium scientiarum penetralia transenderit, si propterea dignitate, honore, nomine & fama ad sidera usque evehctus fuerit, non animo suo efferatur, nec arroganter de se gloriatur: ne si operibus donis non responderit, aut humilitatis donum in ipso non splenderit, instar Capernaumi exemplissima dignitate in maximum opprobrium dejiciatur.

Tandem concludit Christus totum hunc locum generali sententia, qua auctoritatem ministerii adstruit, illudque adversus omnem contemptum vindicat. 1. *Qui vos audit, me audit*, Quia Christus per suos discipulos & ministros ipse nobiscum loquitur, illicque sunt quasi ipsius vicarii, qui ejus personam sustinent: ideo etiam tanquam ipse in propria persona adesset, audiri vult. Itaque verbum Dei ob ministerii vilitatem non debet in contemptum trahi. Non debemus ministrum ut nudum hominem aspicere, sed in ipso Christum, qui per eum loquitur, considerare. Cape hujus rei exemplum, 1. Samuel. 3. vers. 11. ablegat Deus Samuelem juvenem & ministrum, ad suum herum Heli, cum certis mandatis, quæ minus e-

rant grata & jucunda auditu: tamen Heli ea humiliter suscipit, atque dicit: Dominus est, quod bonum est in oculis suis, faciat. Hoc usque adeo certum esse debet, ut si maxime minister per se sit malus: si tamen verbum Dei purè prædicet, sit audiendus. Accommodant huc aliqui historiam, quæ Helix accidit, 1. Reg. 17. vers. 6. Deus tempore famis præcepit corvis, ut pasceret Prophetam. Corvi ergo mane & vespere ei attulerunt panem & carnes: Cur DEUS hæc partes non mundioribus avibus demandavit? Mysterium hæc habere videntur. Multoties Deus per homines impios & malos suo populo bonam doctrinam solet proponere, & spiritualem animorum cibum præbere. Tu ergo comede, & accipe quasi è manu Dei, quodcumque ille mittit, sicut Elias faciebat: nec scruteris, an qui ministrat sit corvus vel columba, dummodo doctrinæ cibus sanus sit, & à Deo proveniat. Officium enim sanctum est, & honore dignissimum, etiam si ministri sint peccatores. 2. Addit è diverso: *qui vos spernit, me spernit: qui me spernit, spernit eum qui misit me.* Cum Christus testetur, seipsum in suis legatis & præconibus loqui, ipse vero & pater ejusdem sint essentia & majestatis: omnino persona ministri sperni non potest, quin contemptus redundet in ipsum Deum Patrem. Quia vero Pontificii hoc loco turpiter abutuntur, ad amolendum contemptum sui Pontificis & ipsius cleri, quos per omnia & in omnibus audiri volunt: Ideo sciendum, hic tantum illos commendari, qui à Christo missi, ipsius verbum purè annunciant. Id si non fiat, Paulus nec se Apostolum, nec angelum è cælis audiendum esse diserte asserit. Galat. 1. vers. 8. Cum ergo Pontifex Romanus cum suis creaturis non evangelizet, sed Evangelium Christi persequatur: interim autem nil nisi humanas traditiones, Conciliorum decreta, & proprii cerebri figmenta crepet: quis nobis vitio vertet, quod istis nugis rejectis, puro puto Evangelio Christi aures præbemus? Prædicent autem ipsi Evangelii doctrinam, & homines omnes ad solum Christum remittant, Dei gratiam & Christi meritum magnificent, tum libenter eos audiemus. Neque enim nobis ignota sunt illa Apostolorum dicta. 1. Timoth. 5. vers. 17. Qui bene præsunt presbyteri duplici honore digni sunt: maxime qui laborant in verbo & doctrina. Item Hebr. 13. vers. 17. Obedite præpositis vestris, & subjacete eis, Ipsi enim pervigilant, quasi rationem pro animabus vestris reddituri. Demonstrant ergo ipso opere se vigiles & pastores animarum esse, & omni honore ipsos prosequemur. Dum autem se lupos esse ipso facto commonstrant, ipsorum ululatum nihili facimus. Oves enim Christi, ipsius vocem audiunt. Alienum autem non audiunt, sed fugiunt ab eo. Johann. 10. vers. 6.

CAPUT XCVIII.

CONTINENS HISTORIAM, QUOMODO CHRISTUS HIJEROSOLYMAM VENERIT IN FESTO SCENOPEGIÆ, ET IN TEMPLO DOCUERIT JOHAN. 7. versic. 11.

Postquam Dominus Jesus septuaginta discipulos in confinio Samariæ & Judææ abs se ablegasset, sicque magna ex parte omni suo comitatu se exonerasset, cum duodecim Apostolis residuum itineris Hierosolymam usque sic confecit, ut circa medium festivitatis eo devenerit. Magna prudentia Christus totam hanc profectio-nem instituit. Noluit statim initio una cum fratribus ascendere, ne stultæ ipsorum cupi-piditati, quæ ad captandam vanam gloriam di-recta erat, assentiri videretur. Noluit item, tanto cum comitatu fratrum, Apostolorum & discipu-lorum Hierosolymam tendere, ne Judæos magis irritaret, quasi regnum affectaret. Et quia Hie-

rosolymis sibi infidias strui non ignorabat, no-luit iter ingredi; dum adhuc omnes via frequen-ti Judæorum eodem proficiscentium multitudine repleta erant, ne aliorum indicio proderetur. Ne tamen officio suo, quod à patre ipsi deman-datum erat, deesse videretur, fratres ex inter-vallo subsecutus est, ita ut circa medium festi Hierosolymam veniret. Interim hac ipsa sua mora animos populi expectatione sui magis ac-cendit, ut sic majore cum fructu suo tempore in publicum prodire posset. Dubium ergo est nul-lum, festo Scenopagiæ, & iis, quæ in eo peracta sunt, hunc ipsum locum in Harmonia deberi: si-quidem nusquam in Evangelistis quicquam occur-rit, quod interseri possit.

CHRISTUS IN SCENOPEGIÆ FESTO DOCET HIJEROSOLYMIS IN TEMPLO JOHAN. 7.

- 11. Οἱ ἔν ἰουδαίῳ ἐζητήσαν αὐτὸν ἐν τῇ ἑορτῇ, καὶ ἔλεγον· πῶς δύναται οὗτος ἕξει τὸν ὄχλον;
- 12. Καὶ ἰσχυροῦς πλὴν ἀπεκρίθη αὐτῷ ἐν τοῖς ὄχλοις· οἱ ἰδοὺ ἔλεγον, ὅτι ἀγαθὸς ἔστιν ἄλλοι ἢ ἔλεγον, ἔ ἀλλὰ πλανάει τὸν ὄχλον.
- 13. Οὐδεὶς ἰδοὺ τῆ περὶ ῥησὶα ἐλάλει περὶ αὐτοῦ, ἂν ἐν τῷ ἑορτῆ ἰουδαίων.
- 14. Ἦδη ἦ τῆ ἑορτῆς μετὰ τῆς, ἀπέειπεν ὁ Ἰησοῦς εἰς τὸ ἱερόν, καὶ ἐδίδασκε.
- 15. Καὶ ἔθωμαζον οἱ ἰουδαῖοι, λέγοντες· πῶς ἔστι τὸ θράσμα οὗτος, μὴ μεμαθηκώς;
- 16. Ἀπεκρίθη αὐτοῖς ὁ Ἰησοῦς, καὶ εἶπεν· Ἦ ἐμὴ διδασχῆ, οὐκ ἐστὶν ἐμὴ, ἀλλὰ ἔπεμψάντες με.
- 17. Ἐάν τις θέλῃ τὸ θέλημα αὐτοῦ ποιῆν, γνώσεται περὶ τῆ διδασχῆς πατέρα ἐκ τῆ θεῶ ἐστὶν, ἢ ἐγὼ ἀπὸ ἐμαυτοῦ λαλῶ.
- 18. Ὁ ἀπὸ ἐαυτοῦ λαλῶν, τίλ δόξαν τίλ ἰδίαν ζητεῖ. ὁ ἢ ζητῶν τίλ δόξαν τῆ πέμψαντος αὐτοῦ, ἔστι ἀληθὴς θεὸς, καὶ ἀδικία ἐν αὐτῷ οὐκ ἐστὶν.
- 19. Οὐ Μωσῆς δέδωκεν ὑμῖν τὸν νόμον, καὶ ἔδειξ ἐξ ὑμῶν ποιοῖ τὸν νόμον, τί με ζητεῖτε ἀποκτείναι;
- 20. Ἀπεκρίθη ὁ ὄχλος καὶ εἶπε· Δαιμόνιον ἔχεις, τίς σε ζητεῖ ἀποκτείναι;
- 21. Ἀπεκρίθη ὁ Ἰησοῦς καὶ εἶπεν αὐτοῖς· Ἐν ἔργον ἐποίησα, καὶ πάντες θαυμάζετε.
- 22. Διὰ τῆ Μωσῆς δέδωκεν ὑμῖν τίλ περιτομῆν, ἔχ ὅτι ἐκ τῆ Μωσῆς ἔστιν, ἀλλὰ ἐκ τῆ πατέρων, καὶ ἐν σαββάτω περιτέμνετε ἄνθρωπον.
- 23. Εἰ περιτομῆν λαμβάνει ἄνθρωπος ἐν σαββάτῳ, ἵνα μὴ λυθῆ ὁ νόμος Μωσῆς, ἢ ἐμοὶ χαλῶτε ὅτι ὄλον ἄνθρωπον ὑμῶν ἐποίησα ἐν σαββάτῳ;
- 24. Μὴ

- 11. *Judei ergo querebant eum in festo, & dicebant: ubi est ille?*
- 12. *Et murmur multum erat in turba de eo. Quidam enim dicebant, Bonus est. Alii autem dicebant, Non, sed seducit turbam.*
- 13. *Nemo tamen palam loquebatur de illo, propter metum Judæorum.*
- 14. *Cum autem jam dimidium festi peractum esset, ascendit Jesus in templum, ac docebat.*
- 15. *Et mirabantur Judæi, dicentes: quomodo hic literas scit, cum non didicerit?*
- 16. *Respondet eis Jesus, & dixit: mea doctrina non est mea, sed ejus qui misit me.*
- 17. *Si quis voluerit voluntati ejus obtemperare, cognoscat de doctrina, utrum ex DEO sit, an ego à meipso loquar.*
- 18. *Qui à semetipso loquitur, gloriam propriam quarit. Qui autem quarit gloriam ejus, qui misit ipsam, hic verax est, & injustitia in illo non est.*
- 19. *Nonne Moses dedit vobis legem, & tamen nemo ex vobis factis prestat legem? quid me quaritis interficere?*
- 20. *Respondit turba, & dixit: demonium habes; quis te quarit interficere?*
- 21. *Respondit Jesus, & dixit eis: Unum opus feci, & omnes miramini.*
- 22. *Propterea Moses dedit vobis circumcisionem, non quia ex Mose sit, sed quia ex patribus, & in Sabbato circumciditis hominem.*
- 23. *Si circumcisionem accipit homo in Sabbato, ut non solvatur lex Mosis, mihi indignamini, quod totum hominem sanum fecerim in Sabbato?*

24. Μὴ